

37. *Alterum verò κενσφύγεται etiam ridiculum est, sic scribit: Copulam nō esse partem enunciationis trinarīa, tam est falsum, quā est falsum, tertium pedem non esse partem tripodis. R. Erras, mi vir. Copula non est pars enunciati, sicut pes tripodis. Et quis unquam fando audivit in scholis Logicis, enunciatum simplex habere tres partes, ut tripodī assimilari possit? Duo sunt extrema, duo termini, duo argumenta, duae notiones, antecedens & consequens (subjectum & predicatum) quae copula sive vinculo connectuntur: ut ex communi omnium Logicorum sententia notissimum est. Quae admiscet autor ille de improprio attributionis modo: huc nihil faciunt, quia ad Logicam spectant, non ad doctrinam de Tropis. Infra autem à nobis examinabuntur.*

38. *Stat igitur Conclusio: Copulam axiomaticam tropo non affici: cuius genuinum officium est connectere extrema sive terminos, vel affirmando unum de altero, vel negando.*

39. *Reprehendendum & illud est quod Autor iste l. 3. c. 4. pag. 113. scribit: Cum de singulis vocabulis seorsum quaritur, singula propriè significare, excluso omni tropo. Tropo autem affici in tota Oratione. Negatur. Nam nulla vox seorsum & per se cogitata, extra enunciatum potest dici tropo modificata. Id quod sic demonstratur. Omnis Tropus desumitur ex argumento quodam inventionis Logicae, ut constat. Omne autem argumentum habet respectum ad id quod arguit, ut itidem constat. Ergo omnis tropus habet respectum ad aliud. Ac proinde una vox seorsum, per se, extra enunciatum considerata, non potest affici tropo.*

40. *Tertia Ratio auctoris illius, cur tropus sacramentalis sit in copula ponendus, haec est: quia, inquit, sic facilius conciliantur sententiae nostrorum de sede tropi in speciem discrepantes. p. 133.*

*Resp. Immò verè, & realiter, & fortiter discrepant opiniones Sacramentariorum de tropo sacramentali, quae nunquam conciliari poterunt. Et infelix conciliatio est, quae nullum habet fundamentum veritatis. Rectius Piscator & laudabilius retractavit publicè,*

&